

Hermann Becker

**Rector Universitatis Rostochiensis M. Hermannus Becker/ Inf. Math. Prof. Publ. Philosophicae Facultatis hodie Decanus, & ad D. Iacobi Pastor. Ad Pietatis ac Modestiae exercitium, hoc Praesertim Bacchanalium, imminente tempore, prosequendum pro ratione officii sui omnes Academiae Cives prolixè serioq[ue] hortatur : [P.P. sub sigillo Rectoratus ... die 18 Febr. 1672.]**

Rostochii: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735969833>

Druck Freier  Zugang



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
M. HERMANNUS

*Becker /*

Inf. Math. Prof. Publ. Philosophicæ  
Facultatis hodiè Decanus, & ad D.  
Jacobi Pastor.

*Ad*

Pietatis ac Modestix

exercitium, hoc

Præsertim

BACCHANA-  
LIUM,


imminente tempore, prosequendum  
pro ratione officii sui omnes Aca-  
demix Civis prolixè serioq; hortatur.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

*R. U. - Progr. 1672*







**I**N BACCHANALIORUM origine inda-  
gandâ optimam lucis partem con-  
sumere, nec vacat, nec libet, siqui-  
dem huic rei *Herodotus, Livius, Plutar-*  
*chus, aliique* Scriptores non proletariam im-  
penderunt operam, priscorumque nefan-  
dam obscœnitatem, adeò graphicè descri-  
pserunt, ut propudiosior longè appareat,  
quàm quâ vel aures, vel oculi, multò  
minus animi piorum sint violandi macu-  
landique. Nulla prorsus vel divini-  
or est, vel salubrior meditatio, quàm quæ pa-  
tienti morientiq; CHRISTO impenditur;  
Et quamvis sacratissimarum istarum medi-  
tationum officio semper omninò defungen-  
dum sit, præcipuè tamen hoc ipso vacandū  
isti curæ tempore, quod laborum dolo-  
rumque â Christo, redimendi humani gene-  
ris



ris causa, exantiationum memoria, laudatione  
instituto Ecclesia consecravit. Pia sanè ac  
veneranda Antiquitas voluit nos per hosce  
Quadragesimæ dies, non modò sobriè, &  
commissionum crapulæq; expertes vive-  
re (quomodò ceteroqui vivendum est sem-  
per) sed & per integrum diem frugali cæna  
contentos esse, ut animus piis cogitationi-  
bus eò liberior ad DEUM ferretur. Non enim  
latebat priscos, mero immerfos animum,  
ad perpetranda scelera obstinatum blandi-  
tiis adeò expugnare, uti sanctiori ulli curæ  
alii incumbere haud possint. Ceterum uti ad  
svetudine peccandi succrescunt ipsis sceleri-  
bus excusationes, & ut animus in flagitia,  
promptus, in expedito commenta, velut  
sceleratæ vitæ custodiam, habet; Ita etiam in  
ipso gremio Ecclesiæ nonnullos invenire  
est homines, qui insanam BACCHANALIORUM  
festivitatem excusare aut palliare conati  
sunt, arbitrati, ludicra pomparum esse, atq;  
adeo citra impietatis culpam usurpari posse.

Et



Et idcirco post habito piæ Antiquitatis in-  
stituto, quod tamen ratio commendat, ho-  
nestas svadet, leges divinæ humanæque præ-  
cipiunt, ebrietati, *potissimo peccatorum fomiti atq;  
parenti*, indulgent, gulæ & ingluviei habenas  
laxant, jamq; maximè dieb9 vino, noctibus-  
que flagitio traducendis desudant, non qui-  
dem cupidius quam toto anno, sed invere-  
cundius & licentiùs, quasi luxuriæ jus publi-  
cè nunc esset datum. Proh nefas! Regi Regū  
& Domino dominantium, servilem in mo-  
dum vincula injiciuntur, oculos ejus fideri-  
bus pares, vividoq; olim splendore vibra-  
tes defixit ingens sollicitudo in terram, &  
gallico gelu frigidior metus, intimum ejus  
tentavit calorem. Fons vitæ inexhaustus,  
sitim sustinet, & infami cruci affixus, ani-  
mam efflat. O convivale tempus! tempus  
aptum luxuriæ & lætitiæ! LEONE rugien-  
te, quis non timeat! Rugit in horto, in cruce  
*Leo de Tribu Juda*; quis non expavecat & resipi-  
scat! Percusso Afaele, quem Abner trans-  
fodit,



fodit, averſa haſtâ omnes, qui tranſibant  
per locum illum, in quo ceciderat Alael &  
mortuus erat, ſubſiſtebant. Ferreus certe  
eſt & humanam excedit conditionem,  
quem non commoveat *Vita ac necis Domini* mors  
foediffima ignominiaëque pleniffima. Ex  
Plutarcho aliisque Romanæ Hiſtoriæ Scri-  
ptoribus perſpectiffimum eſt, Triumvirum  
Marcum Antonium, detecto cadavere  
confecti Cæſaris, & ſanguinolentis lace-  
risque veſtibus Populo Romano oſtenſis,  
tanto motu iracundiaque impleviſſe ani-  
mos ſpectantium, ut ilico facibus ſudibus-  
que, quas cuique ſors obtulerat, â rogo ra-  
ptis, ad oppugnandas ædes percufforum Cæ-  
ſaris impetuoſè convolarint. Quanquam  
iſe inanibus nugamentis plebi, ſpecie cle-  
mentiaë, impoſuerat, re autem vera liberta-  
tem eripuerat. Annon conſultius eſt, *O-*  
*Cives Academici*, ut in deſeſſis obtutibus in vul-  
nera REDEMPTORIS NOSTRI intueamur &  
in expugnabili odio inflammemur adverſus  
pec-



peccata nostra, propter quæ *Ducem Vita*, æternam atque veram libertatem nobis recuperantem, tantos cruciatus sustinere oportuit. Et licet hic dies æternitatis instar nobis stare debeat, nihilominus tñ. ejus memoria apud nonnullos maleferiatos, experienciâ teste plane eviluit: ita enim ipsis vivitur, ut non meditentur delicta & lugeant, sed acuant, non illacrimantur **JESU CHRISTO**, sed illudant, non evitent vim ac potestatem inferni, sed in eâ irruant, non deprecentur mortis supplicia, sed accersant. Neque vero hoc tecte aut occultè in Civitate, nec â purgamentis hominum, perpetrari videas, sed serpit **BACCHANALIORUM** monstrum etiam, per ipsas *Academias*: solet enim *Studiosa Juventus* congressus & conciliabula densare; libidini, impietati, rixis ac dimicationibus operari, non secus ac si in officinis non honestatis ac studiorum, sed intemperantiæ atque nequitix versaretur. Prudentiores **Ethnici BACCHI** sacris operaturi, invios montes



montes petebant, ut inter feras & bestias potius  
furerent, quam inter homines, quos à tali belluina  
amentia decebat esse alienissimos. Hi qui Christiani  
haberi volunt, Paganis multò sunt audaciores, dum  
vultus aliorum subire, & lymphatica ora gravibus  
viris ostendere non verentur. Itanè ad crucem  
Christi acceditis, ut profiliatis in cruore ejus, inter  
foedata & recente tabo madentia vestimenta! itane  
spinas ac clavos, itane sanctissimum caput nunc qui-  
dem pronum & exanime intuemini, ut oculos ac  
animum vestrum non dimittere, non contrahere, sed  
velut pascere tam diro spectaculo velitis! Posthu-  
mus Albinus Bacchantes lustris & latibulis protra-  
xit, discussit, Bacchanaliaque demolitus est; de-  
prehenso ac protracto Urbe & Italia ejecit, Antisti-  
tesque sive viros sive foeminas morte multavit. Lau-  
dabile profecto & gloriosum facinus; Nec minus  
Magi stratus Academicus daturus est operam, ut tur-  
pitudinem *Bachantium* ex meritis præmia mane-  
ant. Ejurate itaque, Studiosi Juvenes, nefanda Bac-  
chanalia, curiosaque speculatione funestissimam no-  
stri *Sospitatoris* lustrate passionem; & considerate  
*Ἰσούβας* sanguineos, sudoris instar destillantes & in  
terram guttatim diffuentes. Dedecus est hoc po-  
tissimum tempore, quo flos Ecclesiæ olim libera &  
sancta jejunia agebat, excolere Bacchanalia, quo-  
rum auctor Diabolus est, quæque saniores detestari  
sunt



sunt Ethnici. *Turpe est sub capite spinis coronato*  
membra velle deliciari; Ad horrendum crucis sup-  
plicium olim cœlū & terra expavescebant; petræ so-  
lidissimæ dissiuebant, & clarissimum istud lucis fi-  
dus, parens diei atque auctor, quem, quod unus om-  
nia illustrat, *solem vocamus*, insolita involvebarut  
caligine. Nefas ergo est præ lætitiis diffuere, noctes  
inquietare, omniaq; strepitu, atq; clamoribus imple-  
re. Supplices O nostri! incurrite Deum, ut imminen-  
tes belli tempestates clementia sua, ceu benefico ali-  
quo sidere discutiat. AMOR NOSTER crucifixus  
est! id gratis agnoscite animis, amantem redamate  
& virtute amore *Christi* crucifixi, crucifigite pec-  
cata: sic idem vos temporaliter æter-  
numque sospitabit,

P. P. sub sigillo Rectoratus, Dominic.  
Estomihi die 18 Febr. 1672.





montes petebant, ut inter f  
 furerent, quam inter homine  
 amentia decebat esse alienissim  
 ni haberi volunt, Paganis multo  
 vultus aliorum subire, & lym  
 vis ostendere non verentur.  
 Christi acceditis, ut profiliatis  
 foedata & recente tabo mader  
 spinas ac clavos, itane sanctissim  
 dem pronum & exanime intui  
 animum vestrum non dimittere  
 velut pascere tam diro spectacu  
 mus Albinus Bacchantes lustr  
 xit, discussit, Bacchanaliaque  
 ptehenso ac protractos Urbe &  
 tesque sive viros sive foeminas m  
 dabile profecto & gloriosum fac  
 Magi stratus Academicus daturu  
 pitudinem *Bachantium* ex mer  
 ant. Ejurate itaque, Studiosi Juv  
 chanalia, curiolaque speculation  
 stri *Sospitatoris* lustrate passionem  
*deorum* sanguineos, sudoris instar  
 terram guttatim diffluentes. D  
 tissimum tempore, quo flos Eccl  
 sancta jejunia agebat, excolere  
 rum auctor Diabolus est, quæque

stias potius  
 li belluina  
 qui Christia  
 ciores, dum  
 ra gravibus  
 d crucem,  
 ejus, inter  
 enta itane  
 t nunc qui  
 oculos ac  
 rahere, sed  
 Posthu  
 is protra  
 est; de  
 it, Antisti  
 avit. Lau  
 ec minus  
 m, ut tur  
 ia mane  
 nda Bac  
 mam no  
 derate  
 es & in  
 hoc po  
 libera &  
 a, quo  
 etestati  
 sunt

